



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XVI. Ne quis post pœnitentiam redeat ad militiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

498 R H A B A N I E P I S T O L A

niam poscit , etiam à multis licitis abstinere,
 „ Aliud quidem est justa debita reposcere , aliud
 „ propria perfectionis amore contemnere. Sed
 „ illicitorum veniam postulantem oportet etiam
1. Cor. 6.
 „ à licitis abstinere , dicente Apostolo : *Omnia*
 „ *quidem licent ; sed non omnia expedient.* Unde
 „ si pœnitentes habent causam quam negligere
 „ fortè non debeat , melius expedit ecclesiasti-
 „ cum quam forense judicium.

Pœnit. Rhab. Item in eisdem decretis cap. xxi. scrip-
 ibid. tum est quod pœnitenti nulla lucra exercere

Regino lib. „ conveniat negotiationis : *Qualitas lucri nego-*
1. c. 313.
 „ *tiantem aut excusat aut arguit , quia est hone-*
 „ *stus quæstus & turpis.* Veruntamen pœniten-
 „ ti utilius est dispendia pati quam periculis ne-
 „ gotiationis obstringi. *Quia difficile est inter-*
 „ *ementis & vendentis commercium non inter-*
 „ *venire peccatum.*

„ Ifidorus in libro officiorum : *Hi qui pœni-*
 „ *tentiam gerunt , capillos & barbam nutrient ,*
 „ *ut demonstrent abundantiam criminum qui-*
 „ *bus caput peccatoris gravatur. Capilli enim*
 „ *pro vitiis accipiuntur , sicut scriptum est : Et*
 „ *crinibus peccatorum suorum unusquisque con-*
 „ *stringitur.*

N e quis post pœnitentiam redeat ad militiam.

C A P. X V I.

Pœnit. Rhab. Item in eisdem decretis cap. xxiv. scrip-
 c. 40. tum est quod aliquis ad militiam secularem
 „ post pœnitentiam redire non debeat : Contra-
 „ rium est omnino ecclesiasticis regulis post pœ-
 „ nitentiæ actionem redire ad militiam secula-

rem, cùm Apostolus dicat: *Nemo militans* ^{1. Tim. 2.}
Deo applicat sese secularibus negotiis. Unde
 non est liber à laqueis diaboli qui se militia
 mundana vult implicare. ["]

*Quod quibusdam pœnitentibus pristina conce-
 dantur conjugia.*

C A P. X V I I.

In Concilio Toletano scriptum est quod ^{Concil. Tolet.}
 quibusdam pœnitentibus pristina reddantur ^{6. c. 8.}
 conjugia: Antiqui & sanctissimi est patris
 sententia Papæ Leonis ut is qui in ætate
 adolescentiæ positus, dum mortis formidat ca-
 sum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si
 est jugatus, & forte fuerit incontinens, ne po-
 stea adulterij incurrat lapsum, redeat ad pristi-
 num conjugium, quo usque possit adipisci,
 temporis maturitate, statum continentiae.
 Quod nos de feminis judicamus, similiter de
 viris censemus, non quidem generaliter & le-
 gitimè præceptum; sed constat à nobis pro
 humana fragilitate indulatum, ea duntaxat ra-
 tione ut si is qui pœnitentiæ legibus non est
 deditus, antea ab hac vita discesserit quam ex
 consensu ad continentiam veniant, superstitione
 non liceat denuo ad uxoris transire amplexus;
 si autem illius vitæ extiterit superstes qui non
 accepit pœnitentis benedictionem, nubat, si
 continere non potest, & alterius uxoris con-
 sortio fruatur. Quod de utroque sexu parimo-
 do à nobis manifestum est decerni; ita videli-
 cet ut in his omnibus sacerdotis ordinatio ex-
 pectetur, ut juxta quod ætatem aptam perspe-
 " "

I i ij